

DE SEMINARIO «LATINITATIS VIVAE» MORSACENSI
 (27.7. — 1.8.1987)

«Ah, estisne vos Batávi? Ego sum Eríca.» Vix Morsácum advecti sero vesperi die dominico 26 mensis Iulii A(nno) D(omi)ni 1987^o haec prima verba Latina excepimus, quibus balbutientes adhuc et timidiiores respondimus («Eh ... sumus!»). Re verā Batávi Amstelodámō iter Morsácum feceramus ut ipsi videremus, quid sibi vellet illa Seminaria Latinitatis Vivaे. Mox rem experturi eramus.

Postero die inter ientaculum mihi licuit ceteros participes — circiter triginta fuius — aspicere cognoscere, sed praesertim audire. Quamvis enim omnes Latine inter se colloquerentur et plerique pronuntiati restituto uterentur, tamen soni prolati multum inter se differebant. Sed feliciter accidit, quod usque a principio omnes sine ulla malitia vel offensione de pronuntiatūs proprietatibus suis et alienis necnon de aliis difficultatibus interdum satis absurdis multum ridere potuimus, ut nunc libere his de rebus scribere quoque audeam. Quid ergo audivi? Vicina mea, domina Romana nomine Christina, per pulchre more Italicō loquebatur, ut saepe nobis exemplum esset r litteram pronuntiandi vel consonantes occlusivas sine aspiratione preferendi. Denique iuvenes nonnullos sedecim vel septendecim annorum eosdemque valde laudabiles animadvertis, quippe qui fortiter conarentur quamquam Latine loquentes nihilominus id efficere, ut cibi quos sumere cuperent, sibi re vera traderentur. Tum me allocutus est Iohannes ille iudex Lucernensis [Luzern], qui omnes consonantes gutturales quae dicuntur, more Helveticō cum strepitu quodam singulari proferre solebat, ut multo horribilius sonaret quam erat, quia homo summā eruditione humanitate urbanitate esse mox apparuit. Sikch [= sic] est!

Sed iam tempus institutionis instabat atque eius dignissimae in quam animus intenderetur. Alios enim adloquens, alios interrogans, cum aliis iocans pater Caelestis sensim more Socratico omnes eo adduxit, ut audacieores et confidentiores ipsi quoque loqui inciperent. Nonnulli iam satis periti erant Latine loquendi, ut Robertus, physicae studens idemque tubicen, vel hospes nostra Eríca, vel Iohannes Turicensis [Zürich], qui vultu persimilis erat pictori illi celeberrimo Batávō Vincentio van Gogh, nisi quod — Deo gratias! — illi aures ambae incolumes erant. Idem etiam Batavice loqui sciebat, ut mox inveni. Aliis autem difficilius fuit consuetudinem Latine legendi convertere in sermonem cottidianum satis Latinum. Quorum in numero nos Batávae quoque eramus — professorem (H)Adrianum semper excipio — quae interdum celerius loqui volebamus neque satis distinguebamus v et f litteras. Sed leniter menda omnia correxit pater Caelestis, interdum mirā quadam providentiā etiam priusquam fierent. Cum Carolina nostra talem correctionem reclamaret se nondum quicquam falsi dixisse, ille «At periculum imminens, ait, iam vidi» — neque id prorsus immerito, ut statim ei est concessum.

Paulo post sodales inter se amicitias iunxerunt, quod nonnumquam qualitati Latinitatis aliquatenus detimento esse videbatur. Plura enim dicere cupiebamus quam pro peritia nostra verbis Latinis exprimere sciebamus. Interdum igitur quattuor aut quinque linguae «auxiliares» simul audiebantur, sed semper fideliter ad linguam Latinam revertebamur. Interea hilaritas in dies aucta est. Secundo die nonnulli iam inter institutionem iocos Latine rettulerunt, imprimis professor Raimundus Pfister, sed totum per seminarium seria quoque tractabantur.

Iohannes Petrus Borle textūs quosdam nobiscum lēgit,* Vincentius

*) Qui scripsit librum recens editum, qui est hīc: BORLE, Jean-

van Gogh [i.e. Iohannes Turicensis] de Villelmo Tello rettulit, de rebus nuclearibus Robertus;* terminologiam grammaticalem ho- diernam cum antiquā comparavit professor Raimundus et multa nobis narravit de medico illo egregio Harveio (i.e. William Harvey) al- ter ille medicus egregius Gaius Licoppe [Bruxellensis] - argumen- ta satis diversā solā Latinitate feliciter inter se coniunctā. Scilicet calx humana quoque in harena nostra inerat, quamvis haec metáphora honorificabilitudinitati patris Caelestis prorsus abso- na esse videatur. (Valde gaudeo me tandem in hominem incidisse qui veram honorificabilitatem possideat. Iam timui ut um- quam hoc verbo a grammatico quodam excogitato uti possem.) Pater Caelestis enim alacriter colloquia omnia ad finem felicem pacifi- cum necnon satis Latinum perduxit.

Si autem inconsideratius nos levitati cuidam irresponsabili tra- dere videbamur, Mec(h)thildes theóloga nos ad seriora revocare solebat, cui libenter Lucas [Belga] argumentationibus philosophi- cis nisus contradixit. Si ab altera parte rationibus a vita cot- tidiana nimis distantibus implicari videbamur, iuvenes aequili- brium servabant aptissima exempla excogitando tam gerundivi modi (Paschalis: «Mox cena sumenda est») quam constructionis verbi la- borandi (Silvia: «Lupi mordentes mihi sunt in ventre: fame labo- ro»), quibus nos monebant se inpraesentiarum satis didicisse.



Ad Lacum Quattuor Regionum (29.7.1987, quārtā fēriā).

Tres Batāvī: Carolina Fisser - Inécūla Sluiter -
Prof. Dr Adriānus Kleywegt

Hunc gregem varium et delectabilem Udalricus et Erīca, quae ite- rum iterumque optimam ordinatricem se praebuit, die Mercurii, qui unus serenissima tempestate ornatus erat, secum duxerunt ad excursionem faciendam. Duos reliquimus, Lucam nolentes nolentem et Iohannem Turicensem qui pedibus nudis de monte cucurrerat ut postea ex contusione digiti pedis laboraret neque ambulare posset. Pingere minus periculosum est, Iohannes! Duos breve ad tem-

Pierre: Le Latin à l'Académie de Lausanne du XVI^e au XX^e siè- cle. Université de Lausanne: CH-1015 Lausanne anno 1987,
pp. 114. MOD.

*) Cfr supra, pp. 349-351.

pus amisimus: Matthíam et Heidrúnam, qui tam intente scilicet *(in-ter se)* Latine locuti sunt in navicula qua vehebamur, ut omnino non animadverterent ceteros omnes descendere *(de nave)*. Pernavi-gavimus igitur partem lacūs Quattuor Pagorum, ambulavimus, tramen *(ferriviarium)* non photographavimus – neque id quidem propter ul-lam neglegentiam patris Caelestis, qui strenue sed frustra hoc facere nisus est –, apricati sumus, natavimus, cáfěam sorbillavi-mus et hilares domum revertimus. Vae, descriptio nimis austera diei iucundissimi.



In altero lacūs litore: Erica Roth - D.rix Sigrides - Prof. Borle
(29.7.1987) cāttām quandam mulcentes (in vico Bauen

prope ecclesiam perpulchram)

Sed domi quoque copiose praebebantur «varia visu, alacria auditu». Quid de apólogo Grimmiano a doctrice Sigride Latine praeparato? Quasi alter Ludovicus de Funès pater Caelestis partes Iohannis Prudentis agendas suscepit, Sigridēs aequo studio partes Grétülae et matris Iohannis. Si Latinitas umquam fastidio eos afficer cooperit – quod Deus avertat – utique eis licebit artem histrionicam exercere. Nam spectatores paene usque ad lacrimas profun-dendas commoverunt, neque erant lacrimae tristitia. Minime por-ro praeterire mihi licet ea telephonemata quae exercendi causā inter nos habuimus. Heidruna Irmengardi Bitrich interroganti quid faceret, quadamtenus ambiguo – si quis etiam linguas moder-nas scit – respondit: «Disco!». Sed telephonema telephonematum fuit inter Iohannem Lucernensem et Mec(h)thildem, quamquam vix describere possum qua de causa tantum risum moverit. Sed fortasse mente fingere poteritis virum optimum quaestioni «Quid est no-vi Lucernae?» confidentissime quidem, sed parum fortasse ad rem respondentem: «Est sémpre aliquid novi Lucernae», ne commemorem quantum ille auscultatorum animos percusserit his verbis – hic velim reminiscami gutturalium illarum singularium: «Uxor mea scire vult quocum vel quacum colloquar». Statim post hoc collo-quium pauca brevis omnino necessaria erat. Neque ipsa irrisionem patris Caelestis – ceterum satis benevolam – fugere potui, quip-pe quae nimiā fortasse avaritiā et cupiditate correptā etiam te-lephonice salutare viderer admonitione «solve!»* Nolui coram om-

*) Batāvī dicere solent «Solfē», ubi Latine dicendum est: «Sālvē!»
MOD.



Partípices seminarii Morsacensis «Latinitatis vivaे»: 30.7.1987,
quintā fériā.

nibus confiteri, sed hic lapsus est Freudianus Batavorum proprius.

Restat ut breviter de festivitate valedictoria referam, in qua praeparanda multi operam plurimam dederant. Nonnulli enim suā sponte omnes cauponas Morsaci summo studio inter se comparaverant, ut optimam nobis seligerent, res scilicet permolesta quia, ut alia praeteream, ubique vinum erat degustandum. Sed optime eis successerat, nam in caupona «Rütliblick» quae vocatur, nos hospitaliter accepti horas periucundas transegimus. Tam iuvenes quam seniores oratiunculas habuerunt, dialogus prolatus est, «aurea iuventus» carmen de vaccis Helveticis nobis cecinit citharā modulans et tintinnabulis vaccarum, dona meritissima oblata sunt Eriæcae et patri Caelesti,* qui et ipse allocutionem habuit, tubā cecinit Robertus, fabula Phaedri recitata est et interea omnes hilariter inter se collocuti sunt. Magna confusio orta est de notione «Kaffee fertig» (i.e. căfăea cum vino adusto), praesertim cum paulo post inveniremus «căfăeam cum aqua destillata» bonam definitionem non esse, neque aptam ad rem satis dilucide explicandam, ut docuit praeceptor noster indefatigabilis («Quid? Sed haec est căfăea paene castrata!»).

Inevitabile autem tempus abeundi appropinquavit, Batavis etiam aliquanto celerius quam plerisque. Nam Carolina iam die Iovis post ientaculum profecta erat ambabus manibus ultimam opportunitatem f pro v dicendi arripiens («Falete, omnes»); nos abiimus sabbato antemeridiano tempore nec nobis placuit tot et tantis amicis iam valedicendum esse. Sed nobis est promissum D.V. [= Deo volente] anno proximo iterum seminarium institutum iri, et ut scripsit homo antiquus, maxima est morum semper patientia virtus.

Fortasse sunt qui opinentur me nimium de participibus et parum de institutione ipsa scripsisse. Hoc de industria feci. Non est describenda institutio patris Caelestis, est participanda eāque fruendum. Nam - hoc mihi credite - non saepe tanto cum gaudio tam multa addidici quam hac una septimana seminarii. Inter nos igitur (re)videbimus!

INÉCVLA SLVITER

*) Liber: Ulrich IM HOF: Die Schweiz [de Helvetia]. Illustrierte